

*Lili Novy:*

### LADJA — NAVIS

Ut navi veheris: per maris aequora  
te fert vita sali limitis inscium.  
Se condunt nebulis pone manentia,  
velantur pariter, quae ante oculos habes.

Exstant nota tibi, quae modo sunt prope:  
delphin, unda tumens, sol radians, larus  
et nubes in iter iam tibi turbida  
atque irata tela minantia.

Quondamne advenies litus ad hospitans?  
Attingesne plagas, quas cupide petis?  
Frangetur scopulis navigium tuum?  
Nescis: cingeris en undique fluctibus.

Luctus transierint vel tibi gaudia  
ac felix maneat te hora vel aspera,  
nautae navis iter conficit optime,  
qui corde est hilari, qui valido simul.

*Ljubljana.*

Vertit: *S. Kopriva.*